

## PRAEFATIO

lectionem exhibere. cum vero interdum errante Mediceo in recentioribus (vel paucis vel plerisque vel omnibus) melior lectio reperiatur, id haud iniuria ambigitur num verius haec tradita an feliciter correcta censeantur. enimvero e Mediceo tamquam fonte ceteros omnes libros derivatos esse disseruerunt nonnulli iidemque peritissimi auctores<sup>1</sup>; alii potius arbitrantur et Mediceum et recentiores ex uno haud multo antiquiore codice exortos, in quo plurima iam prave essent corrupta. quae alioquin cautior sententia eo porro firmatur, quod non solum versus unus (Theb. 195) qui in ceteris exstat in solo Mediceo non invenitur (quamquam cur sit additus, unde in tot libris appareat, nemo satis explicat), sed etiam tot locos<sup>2</sup> errante Mediceo recte exhibent recentiores, tot diversos a Mediceo ostendunt errores, ut vix soli correctori hoc videatur imputandum<sup>3</sup>. res tamen cum testimonia deficient non dum certo potest disceptari; neque si disceptetur permultum fortasse profecerimus ad vera poetae verba restituenda. quamquam enim utile profecto fuerit tam obscura melius intellegere, ac nostrorum codicum archetypi quamvis nebulosam et coniectura fretam consequi adumbrationem, sed neque librorum tam prave corruptorum multo validior fiat auctoritas, neque omnino Medicei codicis labefactetur praestantia.

<sup>1</sup> e. g. Cobet, W. Dindorf, Kirchhoff, Wecklein.

<sup>2</sup> e. g. Prom. 20, 112, 168, 187, 191, 277, 432, 459; Eum. 54, 186, 450, 908, 934, 971, &c.

<sup>3</sup> v. C. Brennan (Journ. Phil. xxii) qui multa ingeniose profert, ut iv potissimum codd. (B Fl Fa V) demonstret non Mediceum textum coniectura mutatum exhibere, sed communis archetypi memoriam a Mediceo multis locis diversam. Fieri autem potest ut codex recentior partim e Mediceo partim aliunde sit derivatus.